



**Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. XV. Solvuntur primum argumentum ex definitione tridentini  
desumptum,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

## §. XIV.

*Retorquentur hec argumenta in Adversarios.*

**A** Ntequam his argumentis directe & in forma respondeamus, oportet breviter illa in Adversarios retorquere, & ostendere difficultatem in illis contentam, esse nobis & illis communem.

**263.** In primis ergo juxta Adversariorum principia, concursus divinus sequitur nutum voluntatis creatoris, & illius determinationem: unde cum voluntas creata non semper se determinet ad bonum, sed quandoque ad malum, concursus Dei aequaliter se extendit ad bonum & ad malum; & ab aliquo discrimine effectivo (quidquid sit de affectivo) utrumque causat, & ad utrumque mediā voluntatis determinatione transit. Et sic juxta hanc sententiam, & modum explicandi concursum divinum, non minus est opus Dei proditio Iudei, quam vocatio Pauli: quod in Luthero & Calvinio damnat Tridentinum canonsuprà relato.

**264.** Secundo, Ille qui ponit aliquid in occasionibus & circumstantiis, in quibus praeditum illum infallibiliter peccaturum, censetur, moraliter saltet, in ejus peccatum influere; illumque moraliter præmoveare & prædeterminare ad peccandum, cum occasions ad peccandum, ad peccatum moraliter moveant & excitent, illudque moraliter causent, juxta illud commune Gallorum proloquium, *L'OCCASION FAIT LE LARON*. Unde cum in sententia Adversariorum, Deus interdum ponat homines in illis circumstantiis & occasionibus, in quibus per scientiam medianam præscivit illos peccatores, potius quam in aliis in quibus prævidit eos bene operatores, videtur esse causa, saltem moralis, cur homines peccant, & homines ad peccandum moraliter præmoveare & prædeterminare, quod est in secundum errorem Calvini suprà impugnatum incidere.

**265.** Nec valet si dicas, illa inconvenientia non sequi ex Adversariorum sententia, quia Deus non tenet populi homines in illis occasionibus in quibus prædicti illios bene operatores, sed potest interdum, propter occultos fines sua providentiae, eos constitutre in illis in quibus præscivit eos lapsos. Maxime quia positis illis circumstantiis & occasionibus, homo potest (potentia saltem antecedente, & in sensu diviso) non peccare, & bene operari.

Non valet, inquam, hæc responsio, nam præterquam quod illa non salvat, quin Deus sit causa moralis peccati; sicut enim occasions peccandi moraliter movent & incitant ad peccandum, ita & qui ponit hominem in illis, censetur esse causa moralis cur incidat in peccatum) idem omnino dicunt Thomistæ de prædeterminatione ad materiale peccati, Deus scilicet non teneri semper prædeterminare physicè hominem ad actus bonos, & honestos, ac recte ratione conformes, sed interdum, propter occultos sua providentiae fines, posse illum ad materiale peccati, per modum primæ causæ, & universalis totius entis provisoris, prædeterminate: maxime in statu naturæ lapsæ, & per peccatum originale vitiatæ, in quo appetitus sensitivus, propter rebellionem concupiscentiæ, valde inclinatur ad bonum sensibile contrarium rationi. Addunt etiam Thomistæ, quod voluntas creata sub tali prædeterminatione posita, manet perfectè libera, & retinet potentiam proximam & expeditam ad non ponendum illum

**A**ctum ad quem à Deo prædeterminatur: unde si hæc responsio valeat præscientia media defensoribus, valebit etiam pro Thomistis, & aliis physicæ prædeterminationis assertoribus.

Nec obstat si intes, & dicas, hoc interesse dis-

crimen inter nostram & Adversariorum senten-

tiæ, quod in nostra sententia, concursus Dei de-

determinat voluntatem creatam ad entitatem actus,

à quo malitia est inseparabilis: è contra verò jux-

ta Adversariorum principia, Dei concursus à vol-

luntate creata ad speciem actus determinatur.

Non valet, inquam, hæc instantia, quia licet Ad-

versari doceant, concursum divinum à voluntate

creata ad speciem actus determinari; volunt ta-

mē talem concursum ipsam determinare quan-

tum ad individuum, in quo (ut supra ostendimus)

aliqua malitia specialis reperitur, quæ illi secun-

dum rationem specificam non convenit: unde si

Deus determinans voluntatem ad entitatem &

speciem actus in esse physico & naturali conside-

ratam, à quo malitia est inseparabilis, non possit

dici, nisi abusivè & nugatoriè, talem malitiam per-

mittere; non poterit similiter, nisi ridiculè &

abusivè, censeri causa solùm permisiva illius spe-

cialis malitiæ, quæ eidem actui convenit ex indi-

viduali ratione. Quare omnia argumenta que

fiant ab Adversariis contra determinationem ad

speciem actus, possunt in illos retorqueri, & fieri

contra determinationem ad individuum. His præ-

missis: non erit nobis difficile argumenta propo-

sta dissolvere, & ab his aranearum telis nos expe-

dire. Unde sit

## §. XV.

*Solvitur primum argumentum ex definitione  
Tridentini desumptum.*

**A**D primum ergo argumentum ex definitio-  
**267.** ne Tridentini desumptum, dicendum est, Concilium in illo canone damnare illam opinio-

nem, seu potius hærefim, quæ tenet Deum mo-

vere & inclinare voluntatem ad materiale pecca-

**D**ti, eo genere motionis quæ necessariò debeat ad

formale sè extende: qualis erat illa quam Lu-

therus & Calvinus admittebant. Lutherus enim dicebat Deum producere in voluntate merè pas-

sive se habente actiones nostras, sive bonas, sive

malas. Calvinus verò errorem Lutheri aliquo modo temperans, fatebatur quidem voluntatem

actiæ in suos actus, sive bonos, sive malos in-

fluere, & ad utrosque à Deo moveri & applicari:

sed addebat voluntatem creatam, sub divina mo-

tione & applicatione, non servare indifferentiam

actualem, nec retinere potentiam ad oppositum,

sed à Deo moveri solùm spontaneè, & sine coa-

ctione, & sicut equis ad currendum moveatur à

cessore. Ex quo evidenter sequitur, quod si in acti-

bus voluntatis ita mota & applicata à Deo, re-

periatur peccatum, illum in Deum ut authorem,

non vero in voluntatem creatam refundendum

sit, & quod proprium ejus opus sit non minus

proditio Iudei, quam vocatio Pauli. Quare ut

Concilium hunc errorem in suo principio elide-

ret, canonem illum in quo illum proscriptum, sic

incipit: *Si quis dixerit non esse in potestate homi-*

*nis vias suas malas facere &c.* Quibus verbis

aperte declarat, idcirco Lutherum & Calvinum

docuisse, *Deum in nobis mala opera ita ut bona*

*operari, non permisive solùm, sed propriè & per*

*se, quia sentiebant, Deum ita movere homines*

*ad agendum, ut non sit in potestate hominis vias*

## DE PROVIDENTIA DEI.

539

suas malas facere. Unde ipse met Lutherus in assertione, afferit, 36. sic loquitur: *Quomodo potest se homo ad bonum preparare, cum neque in potestate ejus sit vias suas malas facere: nam & mala opera in impiis operatur Deus, ut enim Proverb. 16. dicitur. omnia propter se ipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum. Quis audit negare se etiam in malis operibus sepe coactum, aliud facere quam cogitaverit?* Et in alio loco ait: *Si prescivit Deus Iudam fore proditorem, necesariorum Iudas siebat proditor, nec erat in manu Iudei, aut ullius creature, aliter facere.* Lutherus concinit Calvinus lib. 3. institut. cap. 23. num. 9. ubi ait: *Excusabiles peccando haberi volunt reprobis, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem: praesertim cum ex Dei ordinatione sibi iniicietur hujusmodi necessitas.* Idem docet Zwinglius sermone de Providentia cap. 6. ubi ait: *Coactus est homo ad peccandum.* Et Beza in summa Christianismi pag. 188. inquit: *Omnia ita necessario ex Dei immutabili decreto evenire, ut secundum illud Iudas necessario Christum prodiderit. Herodes & Pilatus necessario Christum condemnaverint.* Unde quamvis illi heretici interdum afferant, se non refundere malitiam peccati in Deum, sed in voluntatem creatam, hoc ipso tamen quod tales admittunt voluntatis motionem, quae non relinquit in ea indifferentiam actionem, seu potentiam ad oppositum; sed solam spontaneitatem, & immunitatem à coactione; verbis negant quod re affirmant, & sibi contradicunt. Quod mirum non est, cum Nicolaus Romaeus in libro qui inscribitur, *Calvini effugies, spectaculo 9. & 10.* quorum titulus, *Calvinus sibi discolor, ostendat librum institutionum Calvini esse centonem contradictionum, & numeret viginti primarias, & plusquam sexcentas consecutarias.*

268. Addo cum Valentia 1. p. quæst. 19. punto 3; assertione 4. quod quando Calvinus ait, Dei voluntatem nunquam tendere in malum, nec velle hominum malitiam, solum intendit, Deum eam non velle per se, & quatenus habet rationem mali, sed per accidentem tantum, & in quantum induit rationem boni, seu medij ad manifestationem sua iustitiae vel misericordiae conducentis. Unde, juxta Calvinum, Deus ad omne genus peccati, etiam cum disformitate sumpti, comparatur sicut ille qui eligit mendacium, aliquius commodi & utilitatis causa honestatum.

Ex his facilè intelliges, non minus vastum Chaos inter nos & Calvinum jacere, quam quo Abraham epuloni clamabat, illum à Lazaro distare & esse semotum, ut fusè in Apologia Thomistarum art. 7. ostendimus, ibique omnia qua P. Annatus in libro de scientia media disp. 4. cap. ultimo proponit argumenta dissolvimus. Unde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem inutiliter repetamus.

## §. XVI.

*Aliud argumentum ex Tridentino desumptum diluitur.*

269. A D secundum argumentum ex eodem Canonice Tridentini desumptum, facilè responderetur, concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem, in primis dico, quod Julianus olim simili argumentatione utebatur, ad probandum non dari peccatum originale in parvulis; sic enim ratiocinabatur. Deus est causa corporum, sexuum, conjunctionum: Ergo ex generatione

A prolis non sequitur peccatum, alioquin Deo attribueretur. Cui responderet S. Augustinus lib. 3. quem scriptis contra illum, cap. 9. *Sicut de prole adulorum, si ego dicarem: tot malorum, id est, lascivia, turpitudinis, criminis, bonus fructus esse non potuit: recte mibi responderes, hominem qui de adulteris manus est, non esse fructum lascivia, turpitudinis, criminis, quorum malorum author est diabolus: sed corporum, sexuum, conjunctionum, quorum bonorum author est Deus. Sic ego tibi rectissime dico: malum cum quo nascitur homo, non esse fructum corporum, sexuum, conjunctionum, quorum bonorum author est Deus: sed prima prævaricationis, cuius author est diabolus.* Ita similiter nos responderem possumus, quod Deus non est author peccati, quamvis prædeterminet voluntatem ad materiale, ex quo malitia sequitur; quia illa non resultat ex materiali; prout est à Deo, ut prima causa efficiente, sed prout exit à voluntate creata, ut prima causa deficienti, & difformiter ad regulas mortum operante. Unde docet Capreolus in 2. dist. 37. art. 3. ad 3. quod si Deus substantiam odij Dei, aut alterius actus mali, se solo produceret, aut conservaret extra omne subiectum, non propriepe peccaret, neque talis actus odij Dei esset peccatum, neque haberet deformitatem odij Dei; eò quod talis deformitas non necessariè consequatur substantiam talis actus in se, vel etiam ut à Deo procedit, sed solidum ut procedit à libero arbitrio defectibili, suoque illo actu recedente à lege, & à recto ordine ad Deum ut sum ultimum.

In forma igitur respondeo, distinguendo illam propositionem. Qui causat aliquid ad quod aliud infallibiliter & inevitabiliter sequitur, non censetur, nec dici potest se habere solidum permissibile in ordine ad illud: si sequatur ad illud consecutio ne physica, seu causalitatis, concedo. Si ad illud sequatur consecutio tantum logicæ, & illationis, nego. Nam ad motum vitalem tibie curvæ sequitur infallibiliter & inevitabiliter claudatio; & tamen anima causans illum motum, non censetur esse causa positiva, sed tantum permissiva talis defectus. Item, ut suprà dicebamus, Deus causat generationem hominis, ad quam infallibiliter sequitur-peccatum originale, & tamen tale peccatum non causat, sed tantum permitit. Similiter in sententiâ Adversariorum, ad positionem hominis in occasionibus & circumstantiis in quibus Deus per scientiam medianam illum prævidit peccatum, infallibiliter sequitur peccatum; & tamen Deus non censetur illud velle, vel causare, sed tantum permittere. Denique, ut suprà arguebamus, ad determinationem voluntatis ad individuum actus mali & peccaminosi, sequitur infallibiliter aliqua specialis malitia & deformitas, quæ illi secundum suam rationem specificam non convenient; & tamen quia haec non sequitur ex divino concurso determinante voluntatem ad taliter actum in individuo, consecutio physica, sed tantum logicæ, Adversarij docent Deum non se habere positivè, sed tantum permissibile in ordine ad illam. Quid ni ergo idem nobis licebit responderere de concurso prævio determinante voluntatem ad materiale peccati? Nam similiter ejus malitia & deformitas non sequitur ad tales prædeterminationem consecutio physica & causalitatis, sed tantum consecutio logicæ & illationis. Unde exempla quæ ab Adversariis adducuntur, non sunt ad rem; quia mors & cæcitas, cum sint intra sphæram activitatis causarum secundarum,